

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David tres instruit acies, ac tres earum duces, quibus configit cum copiis Absalom, easque prosternit. Fugit Absalom, vers 9, sed condensae quercui capillis implicitus adhaesit, ibique suspensus a Joab tribus lanceis confoditur. Inde, vers. 17, in fossam cadaver projicitur, et lapidibus obruitur. Moz, vers. 21, Joab victorie nuntium mittit ad Davidem; ille audiens occisum Absalomem, inconsolabiliter lamentatur, et victoriam funestat.

1. Igitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos, et centuriones, 2. et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, et tertiam partem sub manu Abisai filii Sarviae fratris Joab, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populum: Egrediar et ego vobiscum. 3. Et respondit populus: Non exibis; sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit, sive media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt; quia tu unus pro decem millibus computaris; melius est igitur ut sis nobis in urbe praesidio. 4. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam; egrediebaturque populus per turmas suas, centeni, et milieni. 5. Et praecipit rex Joab, et Abisai, et Ethai, dicens: Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat praecipientem regem cunctis principibus pro Absalom. 6. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, et factum est praelium in saltu Ephraim. 7. Et cecus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. 8. Fuit autem ibi praelium dispersum super faciem omnis terrae, et multo plures erant quos saltus consumpsit de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa. 9. Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhaesit caput ejus quercui; et illo suspensus inter caelum et terram, mulus, cui insederat, pertransiit. 10. Vidit autem hoc quispiam, et nuntiavit Joab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu. 11. Et ait Joab viro, qui nuntiaverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra, et ego dedissem tibi decem argenti siclos, et unum balteum? 12. Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis praecipit rex tibi, et Abisai, et Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom. 13. Sed et si fecissem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso. 14. Et ait Joab: Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom; cumque adhuc palparet haerens in quercu, 15. accurrerunt decem juvenes armigeri Joab, et percutientes interfecerunt eum. 16. Cecinit autem Joab buccina, et retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini. 17. Et tulerunt Absalom et projecerunt eum in saltu, in fossam grandem, et comportaverunt super eum aevrum lapidum magnum nimis: omnis autem Israel fugit in tabernacula sua. 18. Porro Absalom exeraxerat sibi, cum adhuc viveret, titulum qui est in valle Regis: dixerat enim. Non habeo filium, et hoc erit monumentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellavit Manu Absalom, usque ad hanc diem. 19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, et nuntiabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus. 20. Ad quem Joab dixit: Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare; filius enim regis est mortuus. 21. Et ait Joab Chusi: Vade, et nuntia regi quae vidisti. Adoravit Chusi Joab, et occurrit. 22. Rursus autem Achimaas

filios Sadoc dixit ad Joab: Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Joab: Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntii bajulus. 23. Qui respondit: Quid enim si currerero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, transiit Chusi. 24. David autem sedebat inter duas portas; speculator vero, qui erat in fastigio portae super murum, elevans oculos, vidit hominem currentem solum. 25. Et exclamans indicavit regi, dixitque rex: Si solus est, bonus est nuntius in ore ejus. Properante autem illo, et accedente propius, 26. vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine, ait: Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex: Et iste bonus est nuntius. 27. Speculator autem: Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex: Vir bonus est, et nuntium portans bonum venit. 28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salve, rex, et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem. 29. Et ait rex: Estne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab servus tuus, o rex, me servum tuum; nescio aliud. 30. Ad quem rex: Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset, et staret, 31. apparuit Chusi: et veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi rex: judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. 32. Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum. 33. Contristatus itaque rex ascendit cœnaculum portae, et flevit. Et sic loquebatur vadens: Filii mi Absalom, Absalom filii mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom filii mi, filii mi Absalom?

VERS. 5. 3. SERVATE MIHI PUERUM ABSALOM. — Certat hic Davidis pietas paterna cum impietate hostili Absalom, in flagranti parricidio ejus scelere et pœlio. Audi S. Chrysostomum, hom. De Absalom. tom. 1: « Inde dementia contra genitorem exurgit, hinc clementia, ut parricidæ parcat, exposcit. Inde furor, hinc pietas operatur. Inde insaniam, hinc misericordia interponitur. Inde crudelitas, hinc bonitas ostentatur. Parricida non laesus insanit. David leditur et milesco. Debellatur ab impietate pietas, nec movetur pietas, nec gladio vincitur, nec terrore mutatur. Parricida nec ratione frangitur, nec imminenti interitu deterritur. »

VERS. 6. 6. ET FACTUM EST PRAELIUM IN SALTU EPHRAIM. — Saltus hic non erat in tribu Ephraim, haec enim habitabat cis Jordanem; exercitus autem uterque transierat Jordanem in Galaaditem, uti dictum est cap. praeced. vers. 2, 4. Erat ergo hic saltus trans Jordanem, in tribu Gad juxta urbem Mahanaïm, in quam se receperat David, non longe a mari Galilaeae: vide Adrichomii tabulas geographicas. Dicitur est « Ephraim » ab aliquo eventu, sive quod esset oppositus tribu Ephraim, sive quod tribus haec eo pabellatum mitteret sua pecora, sive quod praelium aliquod in eo commississet. Ita Abulensis, Vatablus et alii.

VERS. 8. 8. ET MULTO PLURES ERANT, QUOS SALTUS CONSUMPSERAT. — « Saltus » id est fere saltus, quod arguit divinitam hanc fuisse vinchetam, ait S. Hieronymus, Cajetanus, Angelomus. Rursus « saltus »

id est praecipitia et fossae saltus occultae, in quas corruerunt fugientes. Ita Abulensis, Vatablus et alii.

9. ADHESIT CAPUT EJUS QUERCUI. — Septuaginta, Vers. 9. implicitum est caput ejus in arbore; Chaldaeus, ei apprehensum est caput ejus in quercu; Vatablus, detentum est caput ejus a quercu; Hebraeus, adhaesit cœnantes ejus in ramis perplexis quercus. Dens ergo et promissi capilli Absalom, densus et implexis ramis quercus impliciti adhaeserunt. Per crines ergo, in quibus gloriatus erat Absalom, ponitur et suspenditur. Ita Abulensis et Josephus. Addit Cajetanus caput ejus detentum fuisse inter duos ramos, nimirum capite plectitur, quillud superbe contra patrem efferre voluerat. Audi S. Chrysostomum, hom. De Absalom, tom. 1: « Inseritur ramis, obligatur lignis, transfixo gutture colligatus. Pendens jam mortuus ab hominibus invenitur, quem jam nec caelum potuit conspiciere vivum, nec terra ulterius sustinere. O nefandum meritum parricidae! Injuriam patris, non pugnantis gladius, non hostilis manus, non jaculantis telus defendit, sed vindicant ligna, arbor ulciscitur, rami defraudant. »

ET ILLO SUSPENSO INTER COELUM ET TERRAM, MULUS, CUI INSEDERAT, PERTRANSIIT. — Septuaginta, et suspensus est in arbore inter caelum et terram, etc. Sic et Chaldaeus. Adverte hic supplicium justa Dei vindicta scelere Absalom per omnia commensum, patris solium affectavit; thronus ei datur patibulum, diademate coronari ambivit, in corona ejus fuit coma capitis arbori implexa. Septuaginta opti-

vit, in sibi lanceas tres pro triplici sceptrum quibus confoditur. Satellitum regium concepit, id ipsum ei prestari armeri Joab. Supplicium ergo ei versus est in sepulchrum et ceteris epithetis. Audi Chrysostomum, hom. in Psalms: « Absalom Davidem aggressus est, occisus a Joab, et in alto ligno suspensus est, qui adversus patrem erigebatur; et ab arbore definebatur, qui cum radice pugnabat; et vincitur erat a ramo ramus, qui erat a paterna affectione abruptus, et capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat; et tanquam fructus pendebat ab arbore, qui natura agricolam volebat excindere; et in corde jaculo confossus est, illic occisus, ubi eadem parabatur. Et tunc videri poterat spectaculum admirabile. Nullo enim equitans ex pilorum coma, a coma arboris tenebatur, et coma tenebat coma Tyrannum, illic eum contundens, ubi diadema patrum gestere contendebat. » Causam deinde cur suspensus sit Absalom, subjicit: « Poterat ergo videri Absalom suspensus in medio caeli et terra. Caelum eum non admitebat. Si enim primum insurrexerem eiecit diabolum, quomodo ipsum insurrexerem secundum admisset? Terra eum adversabatur, non ferens pollii passibus parvitas. Si enim Dathan devoravit, qui contra Moysen erat locutus, et os suum aperuit adversus eum qui os improbe aperuerat; quomodo poliusset ferre pedes currentes adversus genitorem? »

11. QUARE NON CONFODISTI EUM CUM TERRA. — ut in terram decideret, ibique confossus expiraret; patet ex Hebraeo.

14. TELIT ERGO TRES LANCEAS (breves, unde Septuaginta vertunt, tria jacula; Chaldaeus, tria tela; Nabalus, tria spicula; haec enim significat Hebraeo כֶּלְבַּיִם sceleratum), ET INFIXIT EAS IN CORDE ABSALOM, — ut cor fictum et duplex imo triplex, quo coram patre exterior simularet obedientiam, interior vero foveat regni ambitionem et rebellionem; cor, inquam, proditorium triplici telo confoderet. Causam hanc dat S. Chrysostomus, loco jam citato, dicens: « In cor excordis tres sagittas infixit, illic eum feriens, ubi erat receptaculum iniquitatis, et eum in arbore sublimis pendebat, pulchrum epithetum ei David ceceat: Vidi impium superexaltatum et elatum tanquam caeteros Libani; et transivi, et ecce non erat. » Idem Hieronymus in Psal. vii, tom. I: « Et ut scias quod factum est, non fuisse humanae industriae, sed totum fuisse divini iudicii, capilli et lignum eum alligarunt, et brutum eum animal tradidit, et pro fene quidem coma, pro ligno autem arbor existit. Pro milite autem eum adduxit mutus. Considera autem (id quod est admirabile), cum haec passus est, nemo suorum ad eum accedere ausus est, cum tantum fuisset spatium. Hoc autem Deus providerat, ut neque detraheretur, nec vincula ad patrem afferretur, quoniam paterna viscera ei parci velle ultra modum indicaverant; et quod est admirabilis, qui patrem ei reconciliavit,

is ipsum interfecit, propemodum instans vehementis accusator: sed is quidem eum occidit, mens autem tulit sententiam. » Probat id ex Psalmis Davidis: « Quod enim e superis lata sit sententia, audi quomodo ipse ostenderit. Cum enim dixisset: Et in verticem istius iniquitas ejus descendit, dicit (Confitebor Domino secundum iustitiam ejus, et psallam nomini Domini altissimi): Gratias agam, inquit, non aliorum gaudens caedibus, sed Dei sententiam suscipiens. »

Mystice Glossa: « Arbor Absalomi, ait, significat patibulum gehenne; tres lanceae triplicem damnatorum penam, scilicet ignis, vermis, et carentia visionis beatifica. » Porro percavit Joab occidendo Absalom, quia enim occidit contra preceptum regis jubentis eum servari; quare non habebat auctoritatem et jus eum occidendi, ait Abulensis, qui opinatur hac de causa Davidem ei abstulisse ducatum et regimen exercitus, cap. xix, vers. 43. Excusat tamen Joab Cajetanus, quod ipse dictum Davidis de servando Absalomo accepit, non ut preceptum, sed ut monitum et desiderium aut pietatis paterna indicium. Rursus, quod eum occiderit ardore prelii ex zelo vindictae tanti sceleris et parricidii. Denique quod metueret, si ei parceretur, eum reditotraguram bellum, vel alias patri suo insidias moliturum: timebat etiam Joab sibi, ne ab Absalomo occideretur.

Queres, an Absalom sit damnatus? Nonnulli negant; nam lanceis confossus non statim expiravit; habuit ergo tempus penitendi. Verum in flagranti delicto confossus, nec animum, nec consilium, nec rationem de Deo et sua salute cogitandi videtur habuisse; sed vulneribus oppressus sopita sepultaque mente videtur infelicem animam exhalasse, esseque damnatus. Ita censent S. Augustinus, lib. III De Doctrina Christi, cap. xxi, et lib. XIII Contra Faustianum, cap. lxvi; Silvanus, lib. II De Provid.; S. Chrysostomus, hom. 69 et 70 ad Popul.; S. Bernardus, serm. 26 in Cant.; Theodoretus, Procopius et alii hic. Nam, ut ait S. Augustinus: « Justum est hoc Dei iudicium, ut peccator qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscatur et sui. » Simile prorsus scelus fuit Chramni filii Clotharii regis Francie, qui patri rebellans simili vindicta occubuit; de quo audit Gregorium Turonensem, lib. IV Histor. Franc. cap. xx: « Ibat Clotharius tanquam novus David contra Absalom filium pugnaturus, plangens atque dicens: Respice, Domine, de caelo, et iudicia causam meam, quia injuste a filio injurias patior; respice et iudicia iuste; illudque impone iudicium quod quondam inter Absalomum et patrem ejus David posuisti. Confligentibus igitur pariter; Britannorum comes terga verit, ibique et cecidit: denique Chramnus fugam inivit, naves in mari paratas habens; sed dum uxorem et filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus atque ligatus est. Quod cum Clothario regi nuntiatum

Absalom
dama-
ssa.

fuisse, fuisse eam cum uxore et filiabus igni consumi, inclusisque in lagurio cujusdam pauperis, Chramnus super scammum extensus oratio suggillatus est, et sic postea super eos incensa casula, cum uxore et filiabus interit. »

16. RETINUIT POPULUM NE PERSEQUEBETUR FUGIENTEM ISRAEL. — Pollicium enim preceptum est, ut in rebellionem universali capita plebantur; parcaur vero multitudini, ne princeps suis subditis destituatur, ac rex sit sine regno. Ita Moyses principes, qui populo fuerant duces ad cultum Beelphegor, suspendit, populo vero pepercit, Numer. xvi, 4. Idem fecit Joab in seditione Seba, ut audimus cap. xx. Sic et Elias occidit sacerdotes Baal, qui populum fovebant in idololatria, III Reg. xviii, 40.

Idem fecere Gentiles (unde lex Lycurgi fuit: « Hostem fugientem noli trucidare: » testis est Polyanus, lib. I), praesertim Romani. Ut alios taceam, illustra est quod refert Livius, Decade I De Tarquinio ultimo Romanorum rege, a quo cum Sextus Tarquinus ejus filius ad Gabinos transfugisset, misit filius ad patrem nuntium sciscitatum quid a se fieri vellet. At pater non verbo, sed facto respondit: nam inambulans per hortum summa papaverum capita discussit. Id a nuntio audiens filius, intellexit patrem velle ut primores Gabinorum modo tollerent; quod cum reipsa fecisset, filius caeteram plebem facile sibi patrique subiecit. Ovidius, lib. II Pastor., eandem referens historiam pro papaveribus ponit lilia:

Et virga, inquit, lilia summa metit.

17. PROIECERUNT EUM IN FOVRAM GRANDEM, ET COMPORTAVERUNT SUPER EUM ACERVUM LAPIDUM; — ut hoc acervo cum ejusque scelus, nomen et memoria obliterent, et aeterna oblivione aequae infamiae nota sepelirent: quippe qui, ut ait S. Hieronymus, sceleratissimus erat et gemine neci obnoxius; scilicet qui et patrem contra legis preceptum valde delinquerat, et turpitudinem ejus revelavit, violando publice ejus concubinas.

18. DIXERAT ENIM: NON HABEO FILIUM, ET HOC ERIT MONUMENTUM NOMINIS MEI. — Audimus cap. xiv, vers. 27, Absalomum tres habuisse filios, et unam filiam. Ergo hi filii jam mortui erant, vel certe Absalom hoc monumentum erexit antequam eos genuisset. Ita Abulensis, Cajetanus, Dionysius. Unde Chaldaeus vertit, non habebat filium superstitem. Aliter Rabbinus et Lyranus, qui censent Absalomum reliquisse filios post se, sed ineptos ad regnandum, vel mox morituros ob patris rebellionem. Audi eorum historiam, vel potius fabellam, quam refert S. Hieronymus in Tractat. « Tradunt Hebraei, quod depositus de merco, pater sibi iudicatus, antequam perimeretur, ut faceret sibi titulum ob memoriam sui, eo quod non haberet filium talem, qui regno dignus esset; putabat enim filios suos non solum regno indignos, verum etiam ob peccatum suum, quod in patrem

gesserat, praesenti vita indignos, in quo titulo manum dicitur defixisse, et figuram manus suae expressisse, et ob hoc, titulum hoc modo vocari. »

ET HOC ERIT MONUMENTUM NOMINIS MEI. — Exstat etiamnum hic Absalomitidus, sive monumentum, « in valle Regis, » vers. 18, id est in valle Josaphat, cum nomine sepulchri ejusdem, quod floribus in summo sculptis exornatur, uti scribit testis oculatus Zuallardus, lib. III, peregrinationis suae die secunda. Audi Adrichomium in Descript. Hierusalem, num. 227. Monumentum sive manus Absalom, columna erat et statua marmorea cum inscriptione, duobus ab Hierosolyma stadiis distans, quam Absalom vivus sibi in monumento in valle regia crexerat. Ubi etiamnum turris et magnus lapidum exstat acervus qui quotidie magis ac magis augetur. Nam pagani et peregrini illae transeantes pro more habent, ut quisque lapidem in eum projiciat, et quasi juxta legem vindicantes ipsius adversus David patrem suum rebellionem, huiusmodi maledictione illum execerent: « Maledictus sit parvitas Absalom; et quicumque injuriose parentes suos persequuntur, maledicti sint in aeternum. » Hinc patet titulum sive monumentum Absalomitidum fuisse columnam marmoream, qui insisteret statua ejusdem; unde Josephus ait fuisse statuiam. Alii vocant aedificium. Vatablus nuncupat arcum triumphalem vel pyramidem, ex caeque colligit Absalomum fuisse superbum et ambitiosum, nimisque avidum laudis et gloriae, et ideoque pro monumento hoc superbo repensum ei fuisse vilem rudemque acervum lapidum.

ET APPELLATUR MANUS ABSALOM. — « Manus, » id est monumentum manu operatum Absalomitidum excitatum. Est metonymia. Tropologicae ambiciosi, uti erat Absalom, erigunt sibi titulos et pyramides, ut nomen suum aeternum, illosque vocant « manus » suas, dicentes: « Manus nostra excelsa fecit hoc. » Ita Dionysius.

Simile sepulchrum habuit Rufinus, celebris ille Imperatoris tutor, qui prout ipse, et per ipsum orbem totum regebat: sed postea ambiens imperium, a milibus perit; de quo Claudianus, lib. II Contra Rufinum, ita canit:

Trivis calcandus spargitur ecce
Qui sibi pyramidas, qui non cadentia lampis
Ornatu suos exstruxit culmina Manes.

Et qui Sidonio velari credidit caelo,
Nolus possit aere; jure enim, qui possidet orbem,
Erix vo telluris laeas, et pulvere raro
Per p. tes tegitur, nuspam lotusque sepulchris.

25. SI SOLUS EST, BONUS EST NUNTIVS. — Signum enim est meos esse victores, ac victos hostes persequi; si enim mei cassi victorie essent, ulique iste non solus veniret, sed multi cum eo fugientes se recipere in urbem, ut vitam salvarent.

33. FILII MEI ABSALOM. — Flebat David mortem non tam presentem, quam aeternam Absalomitidum, quod in flagranti delicto parricidii occisus foret;

unde metuebat, imo credebat eum esse damnatum. Porro S. Chrysostomus, hom. *De Absalom*, Davidi respondet ejusque lamenta inhibet dicendo: « Quia plangis, gloriose pater, quid lamentaris? Quasi Absalom quod ausus est, comprobaretur? Quasi hies scelestum, quasi eum parricidium perpetrare volueris: plangis gloriam victoris exercitus, si fletor hostis interitus, nec letitia esse poterit in victoria, si parricide plangitur poena. Ille tuus non fuit filius, qui sic violavit paternos affectus. Ille tuus dici non meruit, qui jus patris sanctissimi violavit. Te non contempserunt exer-

citus, non duces, quibus parci scelesto mandasti, sed illa arbor, illa te primum ulta est; illa defendit, illa læsi patris injuriam, que te non audierat, vindicavit. » Et paulo post, causam subjicit dicens: « Novo enim supplicio debuit inferre, qui seculo novum scelus per patris exitum voluit inferre. »

Denique paternus affectus in filium licet sceleratum urgebat Davidem. Nam, ut ait Quintilianus, *Declam.* 322: « Pater erat; nunquam hi affectus in tantum vincuntur, ut non ad naturam suam tandem revertantur. »

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David luget mortem Absalomi; mox, vers. 9, Israel et tribus Juda Davidem in regnum rediit; occurrit ei Semei, vers. 16, eandem maledicentiam petens, etque parci David; et Miphiboseth, vers. 24, excusans suam tarditatem, et Siba servum suum accusans. Denique, vers. 31, Berzellai invitatus a Davide se per servum excusat, et loco sui Chamaam filium substituit.

1. Nuntiatum est autem Joab quod rex fletet et lugeret filium suum, 2. et versa est victoria in luctum in die illa omni populo; audivit enim populus in die illa dici: Dolet rex super filio suo. 3. Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus et fugiens de prælio. 4. Porro rex operuit caput suum et clamabat voce magna: Fili mi Absalom; Absalom fili mi, fili mi. 5. Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, et animam filiorum tuorum, et filiarum tuarum, et animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum. 6. Diligis odientes te, et odio habes diligentes te, et ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis et de servis tuis; et vere cognovi modo, quia si Absalom viveret, et omnes nos occubissemus, tunc placeret tibi. 7. Nunc igitur surge, et procede, et alloquens satisfac servis tuis; juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac, et pejus erit hoc tibi, quam omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens. 8. Surrexit ergo rex et sedit in porta, et omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta; venique universa multitudo coram rege; Israel autem fugit in tabernacula sua. 9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philistinorum, et nunc fugit de terra propter Absalom. 10. Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello; usquequo siletis, et non reducit is regem? 11. Rex vero David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem in domo ejus.) 12. Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducit is regem? 13. Et Amase dicit: Nonne os meum, et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab. 14. Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius, miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, et omnes servi tui. 15. Et reversus est rex; et venit usque ad Jordanem, et omnis Juda venit usque in Galgalam, ut occurreret regi, et traduceret eum Jordanem. 16. Festinavit autem Semei filius Gera filii Jemini de Bahurim, et descendit cum viris Juda in occur-

sum regis David, 17. cum mille viris de Benjamin, et Siba puer de domo Saul; et quindecim filii ejus, ac viginti servi erant cum eo; et irrumpentes Jordanem, ante regem, 18. transierunt vada, ut traducerent domum regis, et facerent juxta jussionem ejus: Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum jam transisset Jordanem, 19. dixit ad eum: Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es, Domine mi rex, de Jerusalem, neque ponas rex in corde tuo. 20. Agnosco enim servus tuus peccatum meum; et idecirco hodie primus veni de omni domo Joseph, descendique in occursum domini mei regis. 21. Respondens vero Abisai filius Sarviæ dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini? 22. Et ait David: Quid mihi, et vobis filii Sarviæ? cur efficitur mihi hodie in Satan? Ergone hodie interficietur vir in Israel? An ignoro hodie me factum regem super Israel? 23. Et ait rex Semei: Non morieris. Juravitque ei. 24. Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus, et intonsa barba, vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace. 25. Cumque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum, Miphiboseth? 26. Et respondens ait: Domine mi rex, servus meus contempsit me; dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, et ascendens abirem cum rege; claudus enim sum servus tuus. 27. Insuper et accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem; tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. 28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi; tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ; quid ergo habeo justæ quæræ? aut quid possum ultra vociferari ad regem? 29. Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? fixum est quod locutus sum; tu et Siba dividite possessiones. 30. Responditque Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam. 31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. 32. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius, et ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in Castris, fuit quippe vir dives nimis. 33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. 34. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem? 35. Octogenarius sum hodie; numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus et potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi? 36. Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum: non indigeo hac vicissitudine, 37. sed obsecro ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar juxta sepulcrum patris mei et matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, Domine mi rex, et fac ei quidquid tibi bonum videtur. 38. Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei qui liquid tibi placuerit, et omne quod petieris a me impetrabis. 39. Cumque transisset universus populus et rex Jordanem, osculatus est rex Berzellai, et benedixit ei: et ille reversus est in locum suum. 40. Transivit ergo rex in Galgalam, et Chamaam cum eo; omnis autem populus Juda traduxerat regem, et media tantum pars affuerat de populo Israel. 41. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt regem et domum ejus Jordanem, omnesque viros David cum eo? 42. Et respondit omnis vir Juda ad viros Israel: Quia mihi propior est rex, cur irascaris super hæc re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? 43. Et respondit vir Israel ad viros Juda, et ait: Decem partibus major ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David quam ad te; cur fecisti mihi injuriam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Juda viros Israel.

3. ET DECLINAVIT POPULUS. — Hebraea et Chaldaea habent: *Et furatus est sese populus in die illa ut intraret in urbem, sicut se furantur populi, qui pudesfacti sunt, dum fugiunt in praevio, et terga verunt hosti. Furatus est, hoc est furtim se subduxit, furtim ingressus est urbem; non cum triumpho, at victores solent, sed ut illi qui fuga elapsi sunt et victi.*

8. CONFIDISTI (Vatablus, *pudescisti*) HODIE VULTUS OMNIUM SERVORUM TUORUM QUI SALVAM FECERUNT ANIMAM TUAM. — qui scilicet pugnando pro te salvorunt vitam tuam, quam tibi eripere satagebat hostis et proflitor Absalom, cujus tu mortem hodie luges, quasi malles nos omnes victos occubuisse, ut ille foret superstes et victor.

11. SERMO AUTEM OMNIS ISRAEL (qui processit de reconciliatione et reductione regis) PERVENERAT AD REGEM IN DOMO EIUS. — *q. d. Ideo liberius David vocerit et per modum amice querela accusavit suos contribules et tribum Juda, quod tarde venient ad se reducendum in regnum, essentque hae in re novissimae, eo quod secret ceteras tribus Israel communi consensu decrevisse se reducere. Quare hae verba cum Romanis parentesi includenda sunt. Subdunt Complutensia, quia dicitur sic: Sic dicitis ad populum, sed hae verba delenda sunt cum Hebraeis, Chaldaeis et Romanis.*

12. QUARE NOVISSIM REDUCTIS REGEM? — Tribus Juda, ac praesertim cives Hierosolymae Davide fugiente Absalomom cum exercitu magno venientes acceptarant, aique urbem et arcem Sion traderant, quam ille firmo militum presidio munituram, quare male sibi consci, quod scilicet Davidem offensusset, ac metuentes presidium Absalomoni arcem Sion occupans, non audebant Davidem revocare. David ergo omnes benigne ad se invitavit, vocans eos suos consanguineos, et impunitatem pollicens, ut se in urbem et regnum reciperent.

13. ET AMASA DICITE: NONNE OS REUM ET CARO LEA ES? — Erat enim Amasa filius Abigail, quae erat soror Davidis, uti dictum est cap. xvii, 25.

HEC FACIAT MIHI DEUS, ET HEC ADBAT, SI NON MAGISTER MILITIE FUERIS CORAM ME OMNI TEMPORE PRO JOAB. — id est, loco et vice Joab, inquit Abulensis, Hieronymus et alii. Perperam Lyranus, *pro Joab* interpretatur *sub Joab*, quasi Amasa Joabo fugit abditus. Erat Amasa dux exercitus Absalom: quare cum ad se revocare satigaret David, promittens ei ducatum exercitus sui, loco Joab; sciebat enim ad Amasa peredere exercitum Absalom, et praesertim milites qui erant in arce Sion, indeque urbem Hierosolymam omnesque ejus cives; quare cum sibi promisso honoris amplissimo praemio devotum foret David, ut ipse ad se omnem Absalom exercitum, Hierosolymam totamque urbem Juda reduceret; quod et reipsa Amasa praesens. Amasa ergo finem rebellionis imposuit, omnesque Israelitas Davidi reconciliavit, quod sine eo David tarde et difficile, nec nisi periculoso bello

confectisset. Addunt Rabbini Davidem ducatu exercitus spoliasset Joab, eo quod ipse Absalomom contra jussum suum occidisset, uti dixi cap. xviii, 14. Addit Theodoretus atque: David audacem Joab perpetuo odio habuit; tolerabat autem propter ejus ingenium et prudentiam, et suspexit eum habens ne quid novi in eum moliretur.

14. ET INCLINAVIT (scilicet Amasa, vel, ut alii, Sadoe pontifex) COR OMNIUM VIROBUM JUDA, QUASI VIRI UNUS. — ut unanimit et communi omnium consensu revocarent regem suum Davidem.

17. ET SIBA PUER DE DOMO SAUL. — id est, *q. d. Siba, servus Miphioseth, qui ex Jonatha erat nepos Saulis. Praevenit Siba suum herum Miphioseth, ut Davidis gratiam conservaret, ac ut David eum sibi fideliorum quam Miphioseth existimaret, itaque donationem bonorum Miphioseth sibi ab eo factam confirmaret.*

20. IERICICO HODIE PRIMUS VENI DE DOMO JOSEPH. — id est, de decem tribubus Israelis, quarum caput erat tribus Ephraim, qui erat filius Joseph: nam alioqui Semei oriundus erat ex tribu Benjamin, non ex Ephraim vel Joseph, uti dixi cap. xvi, vers. 3. Opposit ergo domum Joseph domum Juda, hoc est Israel, sive decem tribus opposit tribum Juda. Rursus domus Joseph potest accipi domus Ephraim, Benjamin et Manasse: hae enim unum habebant vexillum, unamque aciem in castris duodecim tribuum, ut patet Num. vii, 18 et 22.

22. CUR EFFICINI MIHI HODIE IN SATAN? — *q. d. Cur mihi meaeque clementiae, tammodis et gloriae adversamini? Satan enim Hebraice idem est quod adversarius. Unde Christus Petro ait Matthaei cap. xvi, vers. 23: «Vade post me, Satana, id est, noli mihi adversari, sed sequere me contra ad mortem et crucem. Inde diabolus vocatus est Satanas, quia summus et juratus est fidelium hostis.*

23. ET AIT REX SEMEI: NON MORIBERIS. — id est, non occideris a me hodie, nec quamvis ego vivam, ne letum hunc reditus mei diem tua caede funeslem; utque hae clementiae specie omnes Israelitas perduellionis reos, ideoque sibi pariter necem a me metuentes, ad me revocet. Respicit enim David ad Absai, qui illico voluit occidere maledictum Semei: unde illum retu alius ait: «Ergo hodie interficietur vir in Israel?» quare fidem Semei datam non fefellerit David, cum moriens jussit Salomoni ut eum commoedo aliquo praelexat occideret, III Reg. ii. Potuit enim David, gratiam veniamque dans Semei, illam limitare ad libitum suum: nam gratiam magnam ei praestitit, quod non illico, ut urgebat Absai, eum occiderit, imo per omnem vitam eum intactum reliquerit Ergo quod in vita pepererit Semei, opus fuit magne clementiae: quod vero in morte jussisset eum occidi, mentis fuit justitiae et justae castigationis. Rex sceleratos punire debet: nec enim tam effrons ejus maledicentia, tamque atrox in regiam majestatem injuria relinqui debuit impunita ad aliorum exem-

plum; ne scilicet quis auderet deinceps tale quid in Salomonem et alios reges perpetrare. Ita Abulensis, *Quaest. XXVI*, ubi fuse aliorum sententias refutat, ac praesertim illam Cajotani dicentis, Semei a Salomone occisum esse non ob maledicentiam in Davidem, sed ob novum peccatum, quo Jordanem contra praecceptum Salomonis transierat. Hoc enim falsum est: nam vera causa necis Semei fuit maledicentia; pretextus vero fuit transitus Jordanis a Salomone velitus: hoc enim est quod David recensens maledicentiam Semei mandata Salomoni, dicens: «Juravi per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio; tu noli pati eum esse innocuum,» III Reg. ii, 9. Ecce hic clare explicat David quid juraverit et promiserit Semei, nimirum quod ipse non interficeret eum gladio, non autem quod Salomoni sibi succedens eum non interficeret; imo voluit, intendit et jussit ut ipse eum morte puniret.

24. MIPHIOSETH QUOQUE FILIUS SAUL DESCENDIT IN OCCURSUM REGIS, ILLOTTIS PEDIBUS. — Sic et Chaldaeus; Septuaginta vero, *non curavit pedes suos*; Hebraice est, *non fecit pedes suos*; Pagninus, *non aptaverat pedes suos*. Solebant enim Judaei, quia ex complexione olent aequae ac Arabes instar hircorum (unde Judaei a Poetis et vulgo *fatentes* vocabantur), corpus et praesertim pedes utpote pejus olentes crebro lavare, maxime quia multi in Judea, quasi regione calida, incedebant nudis pedibus, aut non nisi soles tectis, uti accessit Christus et Apostoli; pedes ergo, incedendo per lutum et pulverem; sordidabant, quare eos saepe abluere oportebat.

Minus recte ergo Hebraei apud S. Hieronymum et Angelomum pro *illotis*, verentes, *infertis pedibus*, per eos intelligunt, *lignos pedes*, quos sibi fecerit Miphioseth pro veris quibus carebat, vel quibus aegre uti poterat, utpote debilibus et claudis. Septuaginta addunt, *neque fecerat ungues*, id est, non praeparaverat ungues in signum luctus ob exilium Davidis, ut squalidus et hirtus appareret.

VESTRESQUE SUAS NON LAYERAT; — Interiores infelice, puta lineas, quae carni adherent, uti sunt canis: hae enim lavari solent, non vero extimae et lanuae.

27. TU AUTEM DOMINE MI REX, SICUT ANGELUS DEI ES. — *q. d. Tu sapientissimus es, et prudentissimus iudex et status; quare fac de me quod «placitum est tibi»: quidquid enim statueris, accipiam quasi de manu angeli ut sapientissime et optime factum.*

29. TU ET SIBA DIVIDITE POSSESSIONES. — Nonnulli censent Davidem, ob speciosas rationes Siba, dubitasse an illi, an Miphioseth credere deberet, ideoque sententiam dimidiasse; sed videtur David cognovisse innocentiam Miphioseth, tum ex ejus sordibus et illuvie, quae nullam habebant speciem affectati regni, quod ipsi impegerat servus Siba; tum quia Siba accusator qui erat

praesens, ut patet versu 17, nil ad objecta sibi a Miphioseth respondit. Unde multi putant Davidem hic peccasse injustitiam, quod innocenti Miphioseth abstulerit dimidium bonorum, illudque dederit Siba ejus criminatos: nimis enim facile et temere ei suum heram accusanti crediderat, ejusque donis illectus bona heri sui traderat cap. xvi, vers. 4. Quare ex versum illa, ne videretur errasse, noluit in totum revocare primam sententiam a se latam; sed eam aequae ac bona dimidiavit, dimidium scilicet relinquendo Miphioseth, dimidium vero dando Siba. Ita Abulensis, Cajotanus et alii. Qua in re amicitiam et fidem datam Jonathae patri Miphioseth videtur violasse. Probabile tamen est, quod suspicatur Abulensis, *Quaest. XXX*, damnum hoc Miphioseth Davidem alia donatione vel beneficio compensasse.

Porro Hebraei apud S. Hieronymum et ex eis Angelomus et Glossa censent in penam hujus injustitiae Davidis, Deum regnum ipsius paulo post divisisse in Roboam et Jeroboam, et dando decem tribus, Roboam vero relinquendo solam tribum Judae; adeoque tradunt quod, cum David dixit: «Tu et Siba, dividite possessiones,» audita sit vox e caelo: «Roboam et Jeroboam regnum dividunt.» Verum alia hujus divisionis et schismatis fuit causa, nimirum idololatria Salomonis, ut audiemus lib. III, cap. xi. Imo ob merita Davidis Deus reliquit Roboam tribum Juda, alioqui eam cum ceteris illi ablaturus, ut patet III Reg. xi, 32.

ETIAM CUNCTA ACCIPIAT. — Dixit hoc Miphioseth suboffenso in Davidem animo; unde S. Hieronymus et Angelomus: Dixit hoc, inquit, non gratulanti animo, sed insultanti, et quasi contra Dominum murmuranti, quod Dominus Davidem in pace reduxisset; ideoque Miphioseth, I Paral. ix, 40, vocatur «Meribbaal,» id est litigans cum Domino: verum non videtur Miphioseth voluisse insultare Davidi, et murmurare contra Deum, sed amariori corde hae dixisse.

33. OCTOGENARIUS SUM HODIE, NUMQUID VIGENT SENSUS MEI? — In senio enim, ut ait Ecclesiastes, cap. xii, vers. 3: «Tenebroscent videntes per foramina,» puta oculi, «et obsurdoscent omnes filiae carnis,» scilicet aures, «et dissipabitur cappar,» nimirum appetitus, in cuius locum succedit ciborum, voluptatum et rerum omnium fastidium; unde Solon «senectutem» aiebat esse «vite hiemem,» sicut ejusdem ver est juvenis. Diogenes rogatus: «Quid est senectus? Est, inquit, vita brumalis, tempestatibus obnoxia.» Alexis poeta senex, rogatus quid ageret? respondit: «Pudentem morior,» significans senes non tam vivere, quam lente mori. Vide dicta *Eccles. xii*.

37. EST AUTEM SERVUS TUES CHAMAAN, — scilicet filius meus, *q. d. Mens filius Chamaan pro me semio confecto comilabitur te, et quae mihi beneficia rependere cogitabas, in illi n. conf. Quod*

illi feceris, mihi faceris. Ita Abulensis, Cajetanus et alii. My-dee S. Hieronymus, et ex eo Angelomus: « Chamaam, inquit, interpretatur *suspiciens*: quamdiu enim cum patre permansit, suspiciens vocatus est; postquam vero in doctrinam David regis transit, non Chamaam sed Chamaan, quod interpretatur *fidelis*, appellatus est. »

43. DECEM PARTIBUS EGO MAJOR SUM, — quia in Israele erant decem tribus; in Juda vero una duntaxat, dando Jude tribum Benjamin, ait Theodo-

relus et S. Hieronymus. Ecce ex hoc jurgio cepit dissensio inter Juda et Israel, quæ sub Roboam in apertum schisma erupit, imo capite sequenti seditionem Seba concitavit. Unde hæc narratio sternit viam ad bellum, quod per Israel Seba movit contra Judam et Davidem. Moraliter, discit in hac superba Jude cum Israel rixa, quam verum sit istud *Proverb.* cap. xv, vers. 1: « Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitatur furorem. »

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Seba seditionem movet contra Davidem, qui ei opponit Amasam, quem Joab dolo occidit. Seba, vers. 14, Abelam occupat, obsidet eam Joab, civis caput Seba præscindunt, traduntque Joab: quare ille per eadem Sebae sopita seditione victor ad Davidem redit.

1. Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Jemineus, et occidit buccina, et ait: Non est nobis pars in David, neque hereditas in filio Isai: revertere in tabernacula tua, Israel. 2. Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri; viri autem Juda adhererunt regi suo a Jordane usque Jerusalem. 3. Cumque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: et non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes. 4. Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, et tu adesto præsens. 5. Abiit ergo Amasæ ut convocaret Judam, et moratus est extra placitum quod ei constituerat rex. 6. Ait autem David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom; tolle igitur servos domini tui, et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, et effugiat nos. 7. Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque et Phelethi, et omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri. 8. Cumque illi essent juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasæ veniens occurrit eis. Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente usque ad illa, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, et percutere. 9. Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi oculans eum. 10. Porro Amasæ non observavit gladium quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, et effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est: Joab autem, et Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri. 11. Interea quidam viri, cum stetit juxta cadaver Amasæ, de sociis Joab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Joab comes David. 12. Amasæ autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. 13. Amote ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri. 14. Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam, et Bethmaacha; omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. 15. Venerunt itaque et oppugnabant eum in Abela, et in Bethmaacha, et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs; omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros. 16. Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, et loquar tecum. 17. Qui cum accessisset ad eam,

ait illi: Tu es Joab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio. 18. Rursumque illa: Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela, et sic perficiebant. 19. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israel, et tu quæris subvertere civitatem, et evertere matrem in Israel? Quare præcipitas hereditatem Domini? 20. Respondensque Joab, ait: Absit, absit hoc a me, non præcipito, neque demolior. 21. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David; tradidit illum solum, et recedemus a civitate. Et ait mulier ad Joab: Ecce caput ejus mittetur ad te per murum. 22. Ingressa est ergo ad omnem populum, et locuta est eis sapienter, qui abscisum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab, et ille cecinit tuba, et recesserunt ab urbe unusquisque in tabernacula sua, Joab autem reversus est Jerusalem ad regem. 23. Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel, Banaias autem filius Joiada super Cerethæos et Phelethæos. 24. Aduram vero super tributa; porro Josaphat filius Ahilud a commentariis. 25. Siva autem, scriba; Sadoc vero et Abiathar, sacerdotes. 26. Ira autem Jairites erat sacerdos David.

VER. 1. SEBA FILIUS BOCHRI, VIR JEMINEUS, — scilicet de tribu Benjamin, qui ægre ferebat regnum a Saule et tribu sua Benjamin translatum ad Davidem et tribum Juda; unde videtur hic Seba fuisse unus e duobus Absalomi contra Davidem, ac forte primus post Amasam (4).

NON EST NOBIS PARS IN DAVID, — q. d. Tribus Juda, in fine capitis præcedentis, et dictis et factis luculenter ostendit Davidem, quasi tributorem, ad se, non ad nos qui sumus Israel, sive decem tribus, pertinere, nullaque parte esse nostrum, sed tantum esse suum. Abeamus ergo singuli in nostra tabernacula et domos, ac Davidem tanquam alienum, ad nos non pertinentem, abiciamus. Sexta fuit hæc pœna Davidis, scilicet rebellio decem tribuum, concitata per Sebam, cujus initium et occasio fuit tum rebellio Absalomi, cum quo paulo ante conspirarant decem tribus, necdum plane extincta; tum jurgium decem tribuum cum tribu Juda, eo quod ipsa sola cæteris non vocatis Davidem Hierosolymam in regnum reduxisset. Contendebant enim de primatu, quia Juda prætendebat se esse principem tribuum omnium, præsertim quia David rex oriundus erat ex Juda; cætera vero tribus decem sese Jude præferebant, eo quod numero essent potiores, et decuplo plures. Ac pupugit illas quod David cap. præced. vers. 11. Sadoc et Abiathar misisset ad solam tribum Juda, ut se in regnum reduceret, non vero ad cæteras tribus; unde ipse eis videbatur in tribum Jude esse plus æquo propensior, illamque cæteris omnibus antefere.

Politice hinc discant principes et reges cavere et sospire emulationem nationum diversarum quas regunt, ut omnibus similem affectum, curam et

(1) Quidam interpretes censent distinguendum esse *filium Jemineus* de viro *Jemini*, eo quod prima vox indicat hominem de tribu Benjamin, ultima autem hominem viros Jemini. Ita D. Glatier, Scholæ Theologicæ Parisiensis Professor.

providentiam demonstrent, nec unam alteri præferant, sed eas pari benevolentia prosequantur, itaque eas et sibi et invicem uniant. Aristoteles in *Politico*, hæc duo principia recte gubernationis tradit: *primam*, ut princeps omnium sibi subditorum diligenter habeat curam, omnibusque provideat, et neminem negligat; *secundam*, ut sit omnibus par et æqualis, nec unam gentem alteri, aut principem unam alteri anteponat; seque singulis indifferentem et æquam exhibeat. Si enim majorem affectum uni quam alteri ostendat, alteri iram et invidiam movebit, imo schismata, seditiones et rebelliones concitabit. Exemplum quod impletur, est Deus, de quo Plutarchus in *Moral.*: « Ut Deus, inquit, in celo pulcherrimum ac jucundissimum sui simulacrum constituit solem; sic in republica principem qui prudentia, justitia, benignitate se erga omnes representat. » Sicut igitur sol non est alius pauperi, alius diviti, sed omnibus communis, ita princeps personam spectare non debet, sed omnibus se communem exhibere.

Cyros apud Xenophontem ait similia esse boni pastoris et boni regis officia: sicut ergo pastor æqualem omnium ovium habet curam, sic et rex eandem habeat omnium subditorum.

Alexander Magnus, ut Persas devotos sibi vinceret, eorum vestitum assumpsit, cum ejusque matrimonia suorum instituit, ut scirent se sibi esse curæ et cordi æque ac Macedones.

Themistocli, teste Plutarcho, hoc vir sapiens dedit monitum: « Bene principatum genes Athenæ, si cunctis communis esse velis et mansuetæ. »

Singularis hæc in re fuit Carolus V qui, cum tam diversis nationibus imperaret, singulis tamen se parem, imo patrem exhibebat, ut Hispanis videretur esse Hispanus, Italis Italus, Germanis Germanus, Gallis Gallus, Belgis Belga. Sane viri prudentes censent hujus moniti neglectum, originem et occasionem dedisse bellis Belgicis, quæ jam 70 annis durant, imo flagrant magis quam unquam.

5. ABIT ERGO AMASA, UT CONVOCARET JUDAM, — ut scilicet ipse quasi dux exercitus pro Joab a Davide constitutus, per milles e tribu Juda Davidi et sibi adherentes rebellionem Sebae in suo ortu comprimeret et suffocaret, ne, si ei daretur tempus, adeo cresceret, ut superari non posset. Vidi ego in Belgio viginti duas militum regionum rebelliones ob tardatam stipendii solutionem, quarum nonnullae statim suppressae sunt misso contra paucos rebellantes exercitu, et capitibus eorum plexis, caeterae vero pleraeque data temporis mora ita crevere, ut urbem aliquam occupantes et murientes, factae sint inexpugnabiles, et hostibus ipsis nocentiores et formidabiliores; adeo ut princeps integrum stipendium illico eis exhibere, et omnia eorum postulata concedere coactus fuerit, cum maximo Belgii channo.

Simili modo crevere haerese: nam, ut ait S. Hieronymus, Arius Alexandriae scintilla fuit, quae quia non statim exstincta est, in flammam erupit, quae totum orbem populata est. Unde « ingemit totus orbis, et Arianum se esse miratus est, » ait idem contra Luciferum.

6. AIT AUTEM DAVID AD ABISAI, — quia Amasa, qui abierat convocatus ex Juda exercitum, ultra triduum sibi a Davide praescriptum morabatur, nec redibat, timens David ne Seba se robarat contra eum, illico premisit Abisai fratrem Joab cum parte copiarum, quae ad manum erat, ut illum persequeretur.

8. QUI FABRICATUS LEVI MOTU EGREDI POTERAT ET PERCUTERE. — Hebraeus, qui *agrediebatur et cadebat*, hoc est, qui ita fabricatus erat, ut levi motu e vagina educi posset, et quasi ex ea excederet, ut scilicet Joab dextra apprehendens mentum Amasae, quasi eum osculaturus, sinistra gladium breviorum sive pugionem levi motu e vagina educeret, eoque Amasam inscium dolose confoderet. Hebraei varie haec variant et explicant; sed sensum clare reddidit Noster. Causa caedis fuit, quod Joab indignus ferret Amasam sibi a Davide praetulum, ac se amoto, creatum exercitus ducem: quam ipse magnam aestimabat ignominiam, aeque ac injuriam; ideoque Amasam licet consobrinum suum occidit. Discant hic principes caute duces suos loco movere, nec nisi specie honoris, quasi altius eos evecturi. Peccavit graviter Joab occidendo Amasam, ideoque David moriens jussit Salomoni, ut eum occideret. Amasa tamen justas quoque perdidit suae penae dedit, quod in Daviden avunculum suum rebellasset, et rebellantum dux extitisset.

9. ET TENIT MANU DEXTERA MENTUM AMASAE, QUASI OSCULANS EUM. — hic enim praesens erat mos salutandi. Audi Plinium, lib. XI, cap. v: « Antiquis Graecis in supplicando mentum attingere mos erat. » Hinc de Thebi quae supplicabat Levi, ait Homerus, *Iliade* I: « Dextra apprehendit mentum, et supplex allocuta est Jovem. » Mentum enim praesens indicium, hinc mentum ab emendo di-

citur, quod gulse colloque eminent: hinc et mentum soli homini datum, nulli alteri animal, teste Plinio, lib. XI, cap. XXXIV.

41. EGRE QUI ESSE VOLUIT PRO JOAB COMES DAVID, — scilicet Davidis in bello vicarius et Capitanus generalis. Aliter ex Hebraeo veritatem Vatablus et alii, nimirum: *qui fovet ipsi Joab, quique Davidi, sequatur ipsum Joab, et cum eo persequatur rebellem Seba.*

13. OPPUGNABANT EUM IN ABELA, ET IN BETHMAA. — *Et, significat, id est; nam Abela alio nomine vocabatur Beth, id est domus, Maacha; nec enim Seba erat in duabus urbibus, sed in una quam obsedit Joab. Audi Adrichomium, pag. 101, num. 2, Abela, quae et Abel Bethmaacha, sive, Abel Domus Maacha, Josepho Abelmacha, Hieronymo Bethmaacha; alii vero Abelmacha et Machnedem vocatur: insignis ac munita, superioris Galilaeae urbs est, ac Israelitarum metropolis, sita in tribu Nephthaim, in planitie regionis Berim, non procul a Caesarea Philippi, a Jordane autem sexaginta stadiis distans. Ad quam usque Davidi exercitus dux Joab persecutus est perduellum Sebam.*

18. SERMO, INQUIT, DICEBATER IN VETERI PROVER. — *QUI INTERROGANT, INTERROGANT IN ABELA, ET SIC PERFICIEBANT. — Ita Romana, sicut Regia legant, proficiebant. Hebraea hic concisa sunt et obscura, ideoque varie a variis vertuntur.*

Primo, Vatablus et Hebraei apud S. Hieronymum vertunt, *interrogando interrogabant, et finiebant, q. d. Olim oppugnantes aliquam urbem, interrabant eam juxta legem Deuter. XX, 10, an conditiones pacis accipere vellet, seseque dedere: si tu, o Joab, nunc idem hic fecisses, jam bellum finivisses; urbs enim haec parata est conditiones pacis accipere: semper enim Davidi fuit fidelis et subdita. Alii aliter.*

Verum Noster clare et germane verit, q. d. Ne tra urbs « Abela » ab olitanis temporibus habita fuit domicilium virorum sapientum, gymnasium et quasi oraculum sapientiae, ut, si quid in religione, in moribus, in rebus agendis esset ambiguum et difficile, id ad Abelianos sapientes resolvendum deferrent, et quicquid ipsi resolvissent, id exsequerentur, et « perficiebant, » idque felid et optimo successu: hoc enim innuit et involvit *si proficiebant, q. d. Cur ergo tu, o Joab, audes oppugnare hanc urbem quae est oraculum fidei et sapientiae? patet ex seq. Ita Angelomus, Abulensis, Cajetanus et alii.*

19. NONNE EGO SUM QUE RESPONDEO VERITATEM IN VETERI ISRAEL? — Septuaginta, Hebraea, *ego pacificus fidelis Israel*, vel, ut vertunt Septuaginta, *ego sum pacifica de firmamentis Israel*. Loquitur mulier in persona suae urbis et patriae, scilicet *Abela, q. d. Ego Abela sum quae Israelitarum dubia et litis omnes decido, itaque litigantes pacifico, cum eis veritatem veramque dubii resolutionem respondeo, q. d. Ego Abela abundo viris sapientibus*

et prudentibus, sumque doctorum Academia, ideoque quasi mater et universitas, a qua omnis Israel documenta et consilia petat. Pete ergo tu quoque, o Joab, ab ea consilia, et illico bellum finies. Porro Vatablus et Pagninus vertunt, *ego sum ex pacificis et fidelibus Israel, q. d. Ego semper in fide Davidis perstiti, cum eoque fui pacifica: cur ergo me evtere conaris? Sic Sylla, cognomento Felix, haec duo maxima fortunae munera existimavit: primum, amicitiam Metelli pii; secundum, quod non delevisset Athenas quas occuparat, sed urbi peperisset, utpote Academiae sapientiae. Ita Plutarchus in Apoph. Roman.*

Sic Attilia postulante S. Leone peperit Romae, quasi gymnasium vere fidei et religionis. Sic et Gensericus, rex Gothorum, ad preces ejusdem S. Leonis Romam occupans licet, ab incendio tamen, ignominiosus et caedibus abstinuit, ut habet Vita S. Leonis.

ET TU QUERIS, ELO, EVERTERE MATREM IN ISRAEL, — matrem scilicet et altricem sapientiae, religionis et virtutis. Tales enim sunt Academiae orthodoxae, qualis erat *Abela*, et qualis ante Davidem tempore Josue fuit urbs *Dabir*, id est oraculum, et *Cariat Sepher*, id est, urbs litterarum, Josue cap. XV, vers. 15.

Quare fabella est R. Salomonis et Rabbinozum praesecorum apud S. Hieronymum, qui aiunt, vel potius fingunt, mulierem hanc fuisse *Saram* filiam

Aser, de qua Gen. cap. XLVI, 17, quae fuerit propheta, et Jacob revelavit Joseph filium vivere et regnare in Aegypto, quoque ostenderit Moysi locum in quo condita erant ossa Joseph in Aegypto, ut ea inde transferret in Chanaan, idque non aliunde probant quam ex his ejus verbis: « Ego sum quae respondeo veritatem in Israel: quia sane inanis et frivola est probatio, praesertim quia Sara jam dicta debuisset esse septingentorum annorum: tot enim fluxere ab Aser filio Jacob usque ad Davidem.

22. ET LOCUTA EST EIS SAPIENTER — dicendo, ut ait Josephus: « Vultis, mali, male perire cum liberis ac conjugibus propter hominem malum et ignotum, eumque pro Davide, cujus tanta in vos exstant beneficia, regnare? Speratis unam urbem tam valido exercitui resistere perae? »

26. IRA AUTEM JAIRITES ERAT SACERDOS DAVID. — « Sacerdos, » scilicet proprie dictus, per quem David sua sacrificia Deo offerebat. Sicut hodie reges suos habent sacellanos, qui pro eis et coram eis Missas celebrant. Ita Theodoretus et Abulensis, q. d. Sacellanorum Davidis primus et precipuus erat « Ira; » aut « sacerdos, » id est, indimus cubicularius, et primus consiliarium Davidis, quomodo filii Davidis dicitur fuisse « sacerdos, » lib. II Reg. VIII, 17. Ita Vatablus et Lyrannus. Unde Chaldeus pro sacerdos verit, *principes*, scilicet familiaris et peculiaris amicus Davidis.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Posteri Saulis, ob occisos ab eo contra datam fidem Gabaonitas, jussu Dei crucifiguntur. Mox, vers. 13, quatuor Davidis contra Philistaeos bella recensentur.

1. Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter, et consulit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas. 2. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos (Porro Gabaonite non erant de filiis Israel, sed reliquiae Amorrhæorum; filii quippe Israel juraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda). 3. Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hereditati Domini? 4. Dixeruntque ei Gabaonites: Non est nobis super argento et auro questio, sed contra Saul, et contra domum ejus; neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis ut faciam vobis? 5. Qui dixerunt regi: Virum qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israel. 6. Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. 7. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathae filii Saul, propter jusjurandum Domini, quod fuerat inter David et inter Jonathan filium Saul. 8. Tulit itaque rex duos filios Respha filiae Aia, quos peperit Sauli, Armoni, et Miphiboseth, et quinque filios Michol filiae Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, 9. et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino, et ceciderunt hi septem, simul

condi in diebus messis primis, incipiente messe hordei. 10. Tollens autem Respha filia Aia cinclum, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de celo, et non dimisit aves lacerare eos per diem neque bestias per noctem. 11. Et mundata sunt David quae fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul. 12. Et abiit David, et tulit ossa Saul, et ossa Jonathae filii ejus a viris Jabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philistiim cum interfecissent Saul in Gelboe. 13. et asportavit inde ossa Saul, et ossa Jonathae filii ejus : et colligentes ossa eorum qui affixi fuerant, 14. sepebantur ea cum ossibus Saul et Jonathae filii ejus in terra Benjamin, in latere, in sepulchro Cis patris ejus, feceruntque omnia quae praeceperat rex, et repropitiatus est Deus terrae post haec. 15. Factura est autem rursum praedium Philistinorum adversum Israel, et descendit David, et percussit Philistaum interfecit. Tunc juraverunt viri David, dicentes : Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel. 16. Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philistaeos; tunc percussit Sobocai de Husati, Saph de stirpe Arapha de genere gigantum. 19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philistaeos, in quo percussit Adeodatus filius Salus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethaem, cujus hostile hastae erat quasi licitorum tentorium. 20. Quartum bellum fuit in Geth, in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, et erat de origine Arapha. 21. Et blasphemavit Israel; percussit autem eum Jonathan filius Samaa frater David. 22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David, et servorum ejus.

3. FACTA EST QUOQUE FAMES IN DIEBUS DAVID TERVIS ANNIS. — Immisit Deus hanc famem toti Israeli, quia rex ejus Saul Gabaonitas inique occiderat. Rex autem est publica persona, et republicam representat. Quod ergo rex peccat, hoc republica peccat; ideoque publicum regis peccatum publica fame castigavit Deus.

ET CONSULUIT DAVID ORACULUM DOMINI, — per Sadoe, vel Abiathar Pontificem, indutum Rationali in quo erant Urim et Tummin quasi oraculum, ut dixi *Esodi* xxviii, 30.

DIXITQUE DOMINUS: PROPTER SAUL ET DOMUM EJUS SANGUINUM; QUIA OCCIDIT GABAONITAS, — *q. d.* Fames hinc immissa est in penam peccati, eo quod Saul ejusque familia multum sanguinem injuste effuderit. Hinc peccatum hoc sanguine expiandum erit, ac familia occidens erit occidenda.

PHILII QUOQUE ISRAEL (Josue et principes Hebraeorum, ut dictum est Josue ix) JURAVERANT SAUL — se eos, licet Amorritos, non occisuros; sed in suam rem publicam admissuros, ut aquatores et lignatores.

2. ET VOLUIT SAUL EOS PERCUTERE ZELO, QUASI PRO FILIIS ISRAEL ET JUDA. — Zelus hic Saul fuit, quod vellet Gabaonitarum domos, viros et praedia adhaerere tribui Juda exterisque tribubus, quibus a Deo assignata erant, quasi Josue contra legem et iussum Dei Gabaonitas pepercisset, itaque Judae et Judaeis hereditatem eis a Deo datam ademisset. Sed suspiciens et stultus fuit hic zelus, tum quia

erat contra fidem Gabaonitis a Josue et Hebraeis datam; tum quia Gabaonite in colonia aequae ac religione et fide Hebraeorum sponte transierant, quibus proinde Deus volebat parere; tum quia Gabaonite oppida et media sua cesserant Hebraeis, eorumque erant saecula, atque haec servitute vitam ab eis redemerant, ut dixi *Josue* cap. ix. Quare in hoc zelo Saulis verum fuit istud: « Summum jus, summa injuria. » Porro cum Saul occideret Gabaonitas, David eum fugiens latebat in sylvis et antris, et si forte id postea rescivit, sibi persuasit injuriam huic morte Saulis et filiorum fuisse satisfactum; unde de ulteriore satisfactione non cogitavit, donec Deus peccato jam ejus regno illam ab eo hoc loco exegit. Quare minus recte Lyranus et Abulensis censent hanc famem in diebus Davidis contigisse, eo quod ipse injustitiam hanc Saulis non castigasset.

3. UT BENEDICATIS HEREDITATI DOMINI, — ut scilicet bene precemini Israeli; itaque Deus ab eo avertat famem triennem, quam eidem propter vos induxit (1).

3. VIRUM (Saulum) QUI ATTRIVIT NOS ET OPPRESIT INIQUE, ITA DEFERRE DEBEMUS, UT NE UNUS QUIDEM RESIDUUS SIT DE STIRPE EJUS. — Novem supererant et stirpe Saulis, scilicet Miphiboseth ejusque filius, quinque filii Michol ex Hadriele, et duo filii Saul.

(1) Probabilissimum videtur hoc factum esse a Saule tempore quo tabernaculi translatio Gabaon facta est.

ex Respha concubina. Hos omnes sibi ad necem dedi initio postularunt Gabaonitas; sed videntes Davidem intercedere pro Miphiboseth ejusque filio, utpote prognato ex Jonatha, cui David amicitiam et fidem juraverat, idcirco utrique pepererunt, et reliquos septem ad crucem postularunt.

Quaeres, an aequa et justa fuerit haec eorum postulatio? Respondeo partim fuisse justam, eo quod nonnulli ex posteris Saulis cooperati fuissent ei in caede Gabaonitarum; hoc enim significatur vers. 1, ubi familia Saulis vocatur « domus sanguinum; » partim iniquam, quia verisimile est aliquos ex posteris Saulis fuisse a caede Gabaonitarum immunes et innocentes, qui proinde pro peccato patris vel cognatorum jure humano non poterant occidi. Nam, ut ait Ezechiel, cap. xviii: « Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quae peccaverit, ipsa morietur. » Nullus enim princeps vel rex potest filium condemnare ad mortem propter peccatum patris solius; unde in nullo fidelium tribunalium filius pro patre occiditur. Dico fidelium; nam apud infideles et barbaros, uti apud Japonos, patre peccante non solum ipse, sed et filii ejus plectuntur. Quare postulatio haec Gabaonitarum aliquod habet rancoris, vindictae et furoris insolentis, barbari et Turci: nisi dicas ipsos non ex se, sed ex Dei instinctu, id postulas, idque inmitur versu 9, cum dicitur: « Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino, » et vers. 6, ubi ipsi aiunt: « Ut crucifigamus eos Domino, » Septuaginta, et *placabimus in illis Dominum; Chaldaeus, et suspendemus illos ante Dominum*, quasi anathemata, catharmata et piacula Israelis. Nam ex parte Dei justa et sancta fuit haec postulatio. Deus enim idcirco famem hanc immiserat Israeli, ut pro peccati Saulis piaculo occiderentur ejusdem posterii; cum ipse Saul jam utpote mortuus plecti et occidi non posset. Deus enim omnium tam nocentium quam innocentium vitae et mortis est Dominus; quare potest patres nocentes punire ac filios innocentibus, juxta illud *Deut. v. 9*: « Ego sum Dominus Deus tuus, Deus emulor (Septuaginta, zelotes) reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem. » Vide ibi *Esai.*

Deus ergo volebat hic plectere Saulem in filiis, multis de causis. *Primo* est, ut ostenderet quantum sibi displiceret oppressio pauperum Dominum, vel in honorem Domini, et violatio juramenti eis a Josue prescripti; ostenderet, inquam, per publicum et infame supplicium posterorum Saulis, nimirum eos cruciigendo. *Secundo*, ut indicaret quam profundum in Saule odium concepisset, utpote cujus stirpem funditus vellet excindi, ut jure dixerit Miphiboseth: « Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia Domino Deo. » *Tertio*, ut daret exemplum futuris saeculis, quo patres a sui offensae et sceleribus cohereret, *q. d.* Quod feci Sauli hosti meo, ejus familiam excindendo, hoc faciam cuilibet regi, principi et pri-

vato, ut, si ipse me offendat, non solum ipsum, sed ejus filios posteroseque omnes affligam et disperdam, uti hoc saeculo saepe factum vidimus; Deum scilicet ob peccata parentum antiquissimae et nobilissimae familiae plane evertere et succidisse. *Quarta*, ut consuleret quieti publicae, ne caesa inter Saulis et Davidis posterose bella civilia suscitarentur, qualia fuerant inter Davidem et Isboseth filium Saulis. Denique filiis innocentibus non fiebat injuria, tum quia Deus vitae eorum erat dominus; tum quia ob peccatum originale omnes sumus rei mortis; tum quia ipsi alia propria habebant peccata, ob quae juste morte et cruce puniri a Deo poterant: hanc enim apud ipsum merebantur.

8. TULIT ITAQUE REX DROS FILIOS RESPHA. — Non *Vers. 8.* peccavit David tradendo filios Saulis, etiam innocentes, Gabaonitis ad crucem, quia videbat hanc esse Dei voluntatem, qui idcirco famem Israeli immiserat. Conformabat igitur se voluntati divinae, quae justissima et sanctissima erat ob causas datas vers. 3. Fecit ergo hoc David monitu Dei, et, ut videtur, habito oraculo pro pontifice et Urim, de quo vers. 1; fecit, inquam, tanquam executor justitiae Dei, qui peccata puniit in tertiam et quartam generationem. Saul enim mortuus non poterat puniri nisi in filiis; ac proinde hic justitiae Dei satisfieri non poterat, nisi occidendo ejus filios. Sed haec principibus, magistratibus, et justitiae humane imitari non licet, quia ipsum caput nocens plectere debent, non vero ejus filios et posterose. Ita Abulensis, Cajetanus et alii.

ET QUINQUE FILIOS MICHOI FILII SAUL, QUOS GENUERAT HADRIELI. — Erant hi filii non Michol, sed Merob sororis Michol, quos Michol, utpote carens proliis, in filios adoptavit; Merob enim fuit uxor Hadrielis, Michol vero Davidis. Quare cum dicitur: « Quos genuerat Hadrieli, » intelligit ejus soror Merob, in cujus locum Michol eos adoptans successerat. Alii censent Merob alio nomine vocatam fuisse Michol. Cajetanus vero putat esse mendum, et pro Michol substituendum, Merob. Verum omnes codices Hebraei, Graeci, Latini, habent Michol, non Merob. Chaldaeus tamen habet, et quinque filios Merob, quos educaverat Michol filia Saul; quia eos adoptavit, ut dixi.

9. QUI CRUCIFIXERUNT EOS IN MONTE CORAM DOMINO, — nimirum ad placandum Dominum, vel in honorem Domini, ut ejus justitiae vindictivae, et offensae a Saule et familia ejus factae pro hanc familiae ejus crucifixionem, quasi per publicum piaculum, et hostiam pro peccato satisfaceret. Ubi nota honorari et glorificari Deum executione justitiae. Dum enim senties plectuntur, elucet Dei plecentis justitia et sanctitas, utpote qui peccata et peccatores odit, et impunitos esse non sinit. Hinc *Deut. cap. xii, vers. 16*, jubet Deus idololatras sibi comburi cum tota urbe. « Consumes, inquit, omnia Domino Deo tuo. »

IN MONTE, — scilicet in colle Gabaa, quae fuerat

Qui Deus
jussit
oc-
cidi
Saulis
posterose
Hisp.
primus

Secundo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

Verbo

patris et sedes Saulis, ut eo loco puniretur peccatum, ubi a Saule fuerat commissum, omnesque illiusmodi ex loco supplicii colligerent.

INCIPIENT MESSIOE HORREI. — id est sub initium veris in Paschato, ut indicitur eos in cruce quasi piaculum mansisse per plures menses, ut patet ex sequenti.

Ver. 10.

10. TOLLENS AUTEM RESPIA (duorum crucifixorum mater, et ceterorum cognata) CILICUM, SUBSTRAXIT SIBI SUPRA PETRAM, AB INITIO MESSIS, DONEC STILLARET AQUA SUPER EOS DE COELO, — ut scilicet ipsa manens eubansque in cilicio, jugiter custodiret filiorum cadavera, ne ab avibus, canibus et feris laniantur. Intelligit ipsam non solum mansisse, sed cum famulis et famulabus, ait Cajetanus.

DONEC STILLARET. — ^{HEC} famis et peccati expiatoria manere in cruce, donec Deus ostenderet se placatum per pluviam, quam hactenus negando, sterilitatem et famem Israeli immiserat, itaque se iratum ostenderat. Unde non comprehenditur hic casus lexæ Deuter. cap. XXI, vers. 23, præcipiente ut crucifixi eadem die sepeliantur. Ibi enim agitur de eo qui ob proprium scelus crucifigitur in pœnam; hic vero de his qui ob alienam et publicam culpam, ideoque totius populi sunt piaculum ad reducendam pluviam et fertilitatem. Ita Abulensis et alii. Unde Josephus ait: «Confutimque, pluente Deo, terra posito squalore ad pristinam fertilitatem rediit.» Porro tradunt Hebræi corpora hæc mansisse in cruce per sex menses, scilicet a martio ad septembrem: tunc enim in Palestina pluvie incipiunt, que per æstatem cessarunt. Vide hic ergo et mirare pietatem et patientiam Respiæ, qui tantum sub dio immota persistit perdia et pernox, ut filiorum corpora intacta servaret. Hæc sunt viscera pietatis maternæ.

Mystice, Respia est pia sollicitudo sanctorum Pastorum et Patrum spiritualium, qui filios quos Christo genuerunt, mundo crucifixos custodiunt, eisque succurrunt rigore jejunii et instantia precum, donec misericordiam Dei impetrent super eos de coelo, compescendo praves homines, nec non malignos spiritus, ne pravis suggestionibus eos de cruce rapiant, læcerent et devorent. Ita Angelomus. Hinc Respia Hebræice idem est quod *pruna*, vel *carbo ignatus*, qui ardentis amoris est symbolus; aut *pavimentum* in quo ipsa se affligens pro filii cilicio incubabat.

12. ET ABIT DAVID, ET TULIT OSSA SAUL. — David excoitus exemplo pietatis Respiæ, que tam servulo corpora filiorum suorum custodivit, curavit eorum æque ac Saulis et Jonathæ ossa colligi, et honorifice sepeliri in sepulcro Cis patris ejus; ut ostenderet se injuriarum sibi a Saule illatarum esse immemorem, ac illi pro tantis maleficiis eximia beneficia rependere; qui est actus heroicæ charitatis.

13. FACTUM EST AUTEM RURSUS PÆLIUM. — Dein-

ceps recensetur quatuor Davidis contra Philisteos prælia, que eo ordine, quo hic narratur, contigisse videatur. Hoc enim exiti simplicis historie narratio, licet alii putent hic non servari ordinem temporis, sed quædam antea, quædam posterioris accidisse; sed quod dixi veritas est, itaque censent Josephus, Severus Sulpicius, Sigonius, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Serarius, Vatablus, Dionysius, Adrichomius, Saliarius.

DEFICIENTE AUTEM DAVID. — cum scilicet David jam senescens, pugnans in prælio, labore, æstu, fame et siti fatigatus defecere viribus, nec posset vim hostium ingruentium sustinere amplius; tunc irruit in eum Iesibienob gigas de stirpe Rapha, sive Raphaim, id est gigantum, prognatorum ex primo gigante Rapha (*Arapha* enim idem est quod *Rapha*). Hebræice enim גיגתון *Harapha*, ubi prima littera *h* non est radicalis, sed servilis, generis vicem articuli sive pronominis demonstrativi, sed Davidi succurrit Absai, et giganteum occidit. Audi Theodoretum in *manuscripto*: «Qui factum est ut David deficeret in acie? Senex erat, vincibat autem animi alacritate corpus. Cum autem in conflictu multum sustinisset laborem, erat enim primus in acie pugnans, defessus est, ac defect non ferens laborem. Cum autem in periculum venisset, ne occideretur ab eo qui primum pugnabat inter alienigenas, præter opinionem servatus est, cum eum protexisset Absai, et maximum illum hostem interemisisset.»

17. NE EXTINGUAS LIT. — ^{Ver. 17.} splendorem et gloriam Israelis, qualis erat rex David: Chaldeus, *ne pereat tecum regnum Israel*.

49. IN QUO PERCESSIT ADEODATUS FILIUS SALTUS ^{Ver. 12.} POLYMITARIUS BETHLEHEMITES GOLIATH GERHEUM. — Per Adeodatum multi cum Chaldo intelligunt Davidem, qui a Deo est datus Israeli ad ejus salutem (Sic S. Augustinus filium suum vocavit *Adeodatum*). David enim fuit Bethlehemites, et occidit Goliath. Ita Hebræi apud S. Hieronymum, Angelomus, Lyranus, Glossa, Rabanus, Rupertus, Hugo, Dionysius et alii. Audi S. Hieronymum: «Adeodatus ipse est David. Ideo dicitur Adeodatus, quia a Deo est electus in regnum. Filius Saltus, quia de salto, ubi oves pascibat, est eductus. Polymitarius, quia de genere Beeseleel mater ejus fuit. Bethlehemites, quia Noemi et Ruth tempore ubertatis reversæ sunt in Bethlehem.»

Verum melius Vatablus, Abulensis, Paginus, Cajetanus, Serarius, Sanchez, Saliarius et alii censent *Adeodatum*, Hebr. *Elchanan*, fuisse alium a Davide. Hic enim bella recensentur, que David post initum regnum, imo jam senex gessit: illa autem Davidis cum Goliath pugna, non bellum fuit, sed duellum ante regnum a Davide juvene susceptum. *Adeodatus* hic fuit *filius Saltus*; Hebræice, *filius Iare*, ubi *Iare* est nomen proprium patris Adeodati, ut vertunt Septuaginta, Vatablus, Chaldaei et alii. *Iare* autem Hebræice significat *salvum*, vel *salvum*; unde Noster vertit *filius Saltus*. Pater enim Adeo-

Ver. 17.

Ver. 12.

Adeodatus an David?

datus dicitur *Iare*, id est *sylva*, vel saltus eo quod natus sit in sylva, vel quod in sylva versari et versari consueverit. Tunc igitur *Saltus* est nomen proprium patris Adeodati, ideoque majuscula littera scribendum, uti habent Romana. *Adeodatus* vocatur *polymitarius*. Hebræice, *gregin*, id est *textorum*, quia scilicet oriundus erat ex textoribus, aut potius quia ipse unus erat ex textoribus, qui *polymita*, id est licia variegata contextant, indeque faciunt pannos et vestes *polymitas*, hoc est, variorum colorum et liciorum.

Idem occidit «Goliath Gethæum,» hoc est, fratrem Goliath gigantem quem occidit David, ut expresse dicitur I *Paralip.* cap. XX, vers. 5. Frater ergo Goliath pariter vocatus est «Goliath;» aut potius vocatur «Goliath,» eo quod proceritate, robore et viribus similis esset Goliath quem stravit David. Sic vulgo de viro eximie forti dicimus: *Iste est alter Hercules, vel alter Samson.* Unde Josephus eum vocat *Palestinorum robustissimum.*

Ver. 11.

21. PERCUSSIT AUTEM EUM JONATHAN FILIUS SAMAA FRATRIS DAVID. — Hebræi apud S. Hieronymum censent hunc «Jonathan» esse Nathan prophetam. «Jonathan, inquit S. Hieronymus, ipse est Nathan propheta, qui habuit duos fratres Joel et Ionadab. Ideo eo hic nomen patris ponitur, quia inter preliatores describitur. Ubi vero de prophætia ejus scribitur, non ei annotatur pater, eo quod pater ejus propheta non fuerit.» Verum, longe verius, imo mihi certum est «Jonathan» non fuisse Nathan prophetam, nec Adeodatum, de quo vers. 49, et voluit alii, sed ab utroque diversum. Addit Josephus: «Hoc prælium cum gente (Philistæa) fuit ultimum, non ausa postea se contra Israelitas movere.»

22. HI QUATUOR NATI SUNT A ARAPHA IN GETH. ^{Ver. 22.}

— Multi censent *Arapham* esse *Orpnam*, sororum Noemi et cognatam Ruth, ideoque Goliath quem occidit David, fuisse filium Orphe. Ita Hebræi, Philo Bibliens et Prudentius in *Hamartianis*; verum id refutavi, *Ruth* cap. I, vers. 4, quibus adde «Arapha» non esse feminam, ut inquit Serarius et Sanchez, sed virum, nimirum «Rapha,» a quo orti dicitur sunt «Raphaim,» gigantes, q. d. Hi quatuor gigantes jam dicti nati sunt ex primo illo potente gigante *Rapha*, qui proinde per antonomasiam præposito articulo *He* dicitur est *Harapha*, q. d. Ille gigas, ille Titan. Id ita esse patet, primo ex aliis Scripturæ locis ubi «Raphaim» dicitur nati ex *Rapha* gigante, ut *Genes.* cap. XIV, vers. 5; *Josue* cap. XII, vers. 4, et cap. XIII, vers. 12. Secundo, quia Scriptura in assignanda stirpe et familia filiorum assignat eorum patres, non matres; et hoc significat «de genere *Arapha*. Tertio, quia Septuaginta Romana vertunt, qui erat de posteris *re* *Papa*, id est viri *Rapha*: *re* enim est masculinum, et virum significat. Regia habent *re* *gigantem*, id est *gigantum*, et *re* *re*, id est *Titanum*. Ita quoque Josephus, Chaldaei et alii. Denique, qui hic vocatur «Arapha,» I *Paralip.* cap. XX, vers. 4, 6 et 7, vocatur «Rapha,» a quo «Raphaim» sunt prognati.

Hi quatuor, etc., occiderunt in manu per minimum, robur et pugnam DAVID ET SERVORUM EJUS; — licet enim David neminem horum per se occiderit, occidit tamen omnes per suos servos et milites jam dictos. Quod enim miles facit, hoc dux facit. Adde Davidem hos milites erudivisse, utque exemplo prævisse occidendo Goliath gigantem. Ita Eucherius et alii. Hoc enim Davidis factum secuti ejus milites, alios gigantes occiderunt.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput continet Hymnum, sive Psalmum Eucharisticum, quo David post bella, parta plena pace de tot victoriis Deo gratias agit. Porro hic Psalmus inter Psalmos ponitur, estque in ordine XXVI. Quare ibidem conveniendus loco suo, quasi Psalmus inter Psalmos capitebatur.

1. Locutus est autem David Domino verba carminis hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul, 2. et ait:
 - † Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus.
3. Deus fortis meus, sperabo in eum; scutum meum, et cornu salutis meæ; elevator meus, et refugium meum, salvator meus, de iniquitate liberabis me.
4. Laudabilem invocabo Dominum; et ab inimicis meis salvus ero.
5. Quia circumdederunt me contritiones mortis; quia circumdederunt me; et prevenerunt me laquei mortis.
6. Funes inferni circumdederunt me; prevenerunt me laquei mortis.
7. In tribulatione mea invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo; et exaudivit de templo suo vocem meam, et clamor meus venit ad aures ejus.

8. Commota est et contremuit terra; fundamenta montium concussa sunt, et conquassata, quoniam iratus est eis.
9. Ascendit fumus de naribus ejus, et ignis de ore ejus vorabit; carbones succensi sunt ab eo.
10. Inclinauit oculos, et descendit; et caligo sub pedibus ejus.
11. Et ascendit super cherubim, et volavit; et lapsus est super pennas venti.
12. Posuit tenebras in circuito suo latibulum; cribrans aquas de nubibus caelorum.
13. Prae fulgore in conspectu ejus, succensi sunt carbones ignis.
14. Tonabit de caelo Dominus; et excelsus dabit vocem suam.
15. Misit sagittas, et dissipavit eos; fulgur, et consumpsit eos.
16. Et apparuerunt effusiones maris, et revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris ejus.
17. Misit de excelso, et assumpsit me; et extraxit me de aquis multis.
18. Liberavit me ab inimico meo potentissimo, et ab his qui oderant me; quoniam robustiores me erant.
19. Praevenit me in die afflictionis meae, et factus est Dominus firmamentum meum.
20. Et eduxit me in latitudinem; liberavit me, quia complacui ei.
21. Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi.
22. Quia custodivi vias Domini, et non egi impie, a Deo meo.
23. Omnia enim judicia ejus in conspectu meo; et praecepta ejus non amovi a me.
24. Et ero perfectus cum eo; et custodiam me ab iniquitate mea.
25. Et restituet mihi Dominus secundum justitiam meam; et secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum.
26. Cum sancto sanctus eris; et cum robusto perfectus.
27. Cum electo electus eris; et cum perverso perverteris.
28. Et populum pauperem salvum facies; oculisque tuis excelsos humiliabis.
29. Quia tu lucerna mea Domine; et tu Domine illuminabis tenebras meas.
30. In te enim curram accinctus; in Deo meo transiliam murum.
31. Deus, immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum; scutum est omnium sperantium in se.
32. Quis est Deus praeter Dominum; et quis fortis praeter Deum nostrum?
33. Deus qui accinxit me fortitudine; et complanavit perfectam viam meam.
34. Coaequans pedes meos servis, et super excelsa mea statuens me.
35. Docens manus meas ad praelium, et componens quasi arcum aureum brachia mea.
36. Dedisti mihi clypeum salutis tuae; et mansuetudo tua multiplicavit me.
37. Dilatabis gressus meos subter me; et non deficiet tali me.
38. Persequar inimicos meos, et conteram; et non convertar donec consumam eos.
39. Consumam eos et confringam, ut non consurgant; cadent sub pedibus meis.
40. Accinxisti me fortitudine ad praelium; incurvasti resistentes mihi subter me.
41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum; odientes me, et disperdam eos.
42. Clamabunt, et non erit qui salvet; ad Dominum, et non exaudiet eos.
43. Delebo eos ut pulverem terrae; quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam.
44. Salvabis me a contradictionibus populi mei; custodies me in caput gentium; populus, quem ignoro, serviet mihi.
45. Filii alieni resistent mihi, audita auris obedient mihi.

46. Filii alieni deluxerunt, et contrahentur in angustiis suis.
47. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus; et exaltabitur Deus fortis salutis meae.
48. Deus qui das vindictas mihi, et dejicias populos sub me.
49. Qui educis me ab inimicis meis, et a resistentibus mihi elevas me; a viro iniquo liberabis me.
50. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus; et nomini tuo cantabo.
51. Magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus in sempiternum.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recensentur ultima Davidis dicta ac, vers. 8, ejus heroes, numerum tres ejus fortissimi milites, eorumque heroica factura, ac vers. 24, caeteri ejus triginta Fortes numerantur. Confer hoc caput cum I Paral. xi, ubi alio ordine et methodo idem catalogus Fortium Davidis textitur.

1. Haec autem sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius psalter Israel: 2. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. 3. Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel, dominator hominum, justus dominator in timore Dei. 4. Sicut lux aurora, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluvius germinat herba de terra. 5. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum aeternum iniret mecum, firmum in omnibus atque mutuum. Cuncta enim salus mea, et omnis voluntas; nec est quidquam ex ea quod non germinet. 6. Prava-ricatores autem quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus. 7. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum. 8. Haec nomina fortium David. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. 9. Post hunc, Eleazar filius patris ejus Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philistiim, et congregati sunt illic in praelium. 10. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit et percussit Philistæos, donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio; fecitque Dominus salutem magnam in die illa; et populus qui fugerat, reversus est ad caesorum spolia detrahenda. 11. Et post hunc, Semma filius Age de Arari, et congregati sunt Philistiim in statione; erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus a facie Philistiim, stetit ille in medio agri, et tuitus est eum, percussitque Philistæos, et fecit Dominus salutem magnam. 13. Nec non et ante descenderant tres qui erant principes inter tres, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam, castra autem Philistinorum erant posita in Valle gigantum. 14. Et David erat in praesidio; porro statio Philistinorum tunc erat in Bethlehem. 15. Desideravit ergo David, et ait: O si quis mihi daret potum aqua, de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam! 16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David; at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino, 17. dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc; num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, et animarum Dominus, ne faciam hoc? Noluisti ergo bibere; hæc fecerunt tres robustissimi. 18. Abisai quoque frater Joab filius Sarviae, princeps erat de tribus; ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit nominatus in tribus, 19. et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat. 20. Et Banaias filius Joiaha viri fortissimi.